

Caspar Willich


Oratio De Haereticis Non Occidendis, Scripta & publice Marpurgi in incluta Cattorum Academia proposita

Rostochii: Ferberus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749788259>

Druck Freier  Zugang





N. H. — 2 (151.)

1. Nylus, de remedijs subsidiarijs.
2. Nylus, de in iudicibus cautely obijciendis exceptionibus.
3. Nylus, de testamento temp. post. condito.
4. Soerel de montibus pietatis, vulgo nunc *Christenbaum* *ffound*
ad. Amstel. Quintess.
5. Soering, de redintegrati^one ~~matrimonii~~ *matrimonii*.
6. Soetfche, de substantiali paterna consensu ad nuptias
et circumfam, requirito.
7. Soetfche, de iure apostolorum.
8. Soet, de confiscanda hereditate ab inultam mortem.
9. Glaeser, de revocatione in ius sine citatione.
10. Glaeser, de contracto chirographario.
11. Glaeser, de iure statutario.
12. Glaeser, de ea quae circa dotem et in natura et ex instituto
gestam est episcopi legitima in iudicio abbi rudi ratione.
13. Goeten, de crimine concussoris.
14. Winckler, de donatione remuneratoria *feminae laburenfis*
solae curatoris consensu valida.
15. von Wintheim, de dote.
16. Puffius de iuris dictione episcoporum germaniae.
17. Willebrandt, de Genal. C. Maedoniano.

18. Willebrandt, de venditione officiorum, cum Harlowi^o d^o Cicer^o.
19. Willich de relictis non accidentis.
20. Winzelmann, de libello conventionali civili.
21. Hopp, de veritate convictioni.
22. Hopp, de inimicitis capitalibus. non tad-fürst.
23. Annus, disp. jurid. insignem et in foro quotidianam usurarum materiam continens.
24. Hombergius, de contractu fœcudae.
25. Hoepfer, de eo quod iuris est, circa testimonia declinan-
da aut differenda.
26. Hagemister, de ephoris juvenum, non fœderis leg
jurs fœderum.
27. Holderrider, de principiis interpretationis legum
adæquatas.
28. Holtzmann, de vario usu juris usa et abusu in curiis et
Cancellariis.
29. Hilligerus, de bonae fidei iudiciis.
30. Himmelmich, de Felonia.
31. Hinz, de successione et audicanti seu jure successorum
non recipro inter parentes et liberos ex testamento et ab in-
testato.
32. Hochmann, de benedictione nuptiarum.

19 2

ORATIO
DE
HÆRETICIS
NON OCCIDEN-
DIS,

Scripta & publicè Marburgi in incluta Cat-
torum Academia propoſita

CASPARE WILlichio
GNOIËNSI MEGAPOLITANO,

Cum

Ipsi 7. Cal. Decembr. Anno 1616. à Clarissimo, Am-
plissimo & Consultissimo viro Dn. JOANNE GOED-
DÆO, Jcto celeberrimo, & ibidem Antecessore primario,
juris utriusq; insignia doctoralia decernerentur.

Senec. epist. 82.

Pro veritate simpliciter agendum, con-
tra metum fortius.



ROSTOCHII;

Ex officina Typographica Augustini Ferberi,
Anno M. DC. XXIII.

ORATIO

WILHELMUS



Año MDCXXIII




ILLUSTRISSIMIS, REVERENDIS-
SIMO ET GENEROSISSIMIS PRINCIPI-
BUS AC DOMINIS,

Domino
ADOLPHO FRIDERICO,
&
Domino
JOANNI ALBERTO,

*Fratribus germanis, Ducibus Megapolitanis,
Coadjutori Episcopatus Ratzeburgensis, Principi-
bus Vandalorum, Comitibus Sverinensibus, Do-
minis Rostochiensium & Stargardensium, &c.
Principibus & Dominis suis Clemen-
tissimis,*

S.
Illustrissimi Principes Do-
mini clementissimi,

Um omnis generis virtutes, tum primæ
earum, ex quibus quasi rivulis largè flu-
entibus reliquæ copiosè promanant, sum-
mo lo-

A 2

<http://purl.uni-rostock.de>

[/rosdok/ppn749788259/phys_0007](http://rosdok/ppn749788259/phys_0007)

mo loco natos, & in alios habent imperium, summo-
perè ornant. Eæ sunt Pietas & Justitia, quibus et-
jam nonnulli pro symbolis usi fuerunt. Illam colere
oportet, quotquot æternæ salutis participes esse vo-
lunt, sine hac humana societas conservari haudqua-
quam potest. Quò quis autem major est, eò magis
hæ virtutes in eo elucent, eoq; majora in plures re-
dundant commoda. Pietati enim, quæ in vera co-
gnitione veroq; divini Numinis cultu consistit, si stu-
deant, quibus populi curæ sunt, non solum ipsi rectè
sibi prospiciunt, cum ex mandato Creatoris Salvato-
risq; sui ea potissimum sequuntur, quibus ad cœlestia
aspirant, verum etiam subditos suos sui similes esse cu-
piunt, ne in devia deducti in profanas opiniones pro-
labantur, aut etiam animæ suæ periculum creent. Hoc
sibi quoque conjunctum habet bonarum literarum
studium, quo vel ipsi ingenia sua excolant, seq; in
religione confirmant, vel cœlestem doctrinam, &
humanitatem ad plurimos propagent, quod boni ma-
gistratus primum officium esse novimus, & fundan-
dis conservandisq; Ecclesijs & Academijs potissi-
mum exercetur. Justitia verò, quæ suam unicuiq;
tribuit (namq; de altera, quæ virtutes omnes contine-
net, nihil hic dicimus) facit, ut à bellicis tumultibus
immunis sit provincia universa, & singuli quoq; sua
bona ab injurijs aliorum tuti tranquille possideant.
Hæ virtutes eximie licet ab aliquot seculis in Saxo-
niæ principibus floruerint felicissimè, est tamen præ-
cipue, cur nostræ patriæ gratulemur, cui sub divina
protectione, annis quadringentis & octoginta penè,
hujusmodi præfuere tot heroes præstantissimi, in
quibus

quibus ultra harum major fuerit dubitare queas. Ex quo enim Pribitzlaus Nicloti filius, postremus Oborritorum Regulus, ab Henrico Leone potentissimo Bavarix & Saxonix Duce, diuturno bello fractus, idolis relictis, Christianam religionem amplecti iussus fuit, licet non admodum reluctaretur, non defecit à fide gens nostra, exemplum secuta principum, qui varijs modis testati fuerunt, se uti Christo nomen dedissent, abhorrere jam ab omnibus phanaticis opinionibus, & idololatria majorum, qui in cultu suorum Deorum constantes esse videri volebant. Quocirca monasteria condiderunt plurima, ex quibus (ne de reliquis multa hinc immisceamus) Pribitzlai, quem diximus, Doberanum primum jure nominamus. Nonnulli itinera susceperunt periculossima in terram, quæ Sancta vulgò dicitur, hoc enim religionis ergò fieri à se existimari voluerunt. Unde hic Pribitzlaus cum Henrico Leone in illam abiit, uti Henricus ejus abnepos cum plurimis Christiani nominis principibus ad recuperandam, quæ à Saracenis tenebatur, Palæstinam tam longinquum iter adire non reformidavit, etsi captum à Sultani militibus viginti sex annis tristem cum servitute servivisse annales referunt. Eadem loca invisere quoque voluit Magnus Cathedralis Ecclesiæ Rostochiensis conditor. Joannes Burewini junioris filius viginti annis Parisijs vixit, quem etiam gradu Doctoris in Theologia ornatum ferunt. Joannes cum patruelo suo Alberto Alberti regis Swecix filio anno abhinc ducentesimo Academiam condidit Rostochiensem, eandem avus

vester, principes Illustrissimi, linguis artibusque excellens una cum fratre Hulderico restauravit, egregisque dotavit redivitibus, cum patruus ipse Henricus Pacificus cum filio Magno principe eloquente & literatissimo religionis reformationem, abjectis monachorum deliramentis instituisse. Quæ quanta dona tantorum principum familiam vestram quam illustrem reddant, cuivis videre licet, neque enim hoc in loco historiam contexere animus est, neque etiam progenitores vestros nimium laudare, etsi sese hic campus aperiret latissimus. Cum pietate coluisse hos omnes justitiam itidem manifestum est, quod cum primis fertur de Joanne Theologo, de Henrico vestro Leone, de Alberto primo Megapolensium Duce à Carolo IV. Imperatore investito, de Henrico Alberti regis Swecia fratres, quos singulos gravissimos animadversores in latrunculos & prædones fuisse accepimus, & subditis suis procurasse tranquillitatem & publicam & privatam, sine quibus nulla ditio rectè quæsitus frui potest. Ut propius ad vos accedam, avi & magni patris vestri exempla ob oculos habetis. Erant enim Joannes Albertus & Huldericus fratres, Germanæ fidei principes, sinceræ pietatis amantes, ejusque propagatores eximij, literas literarumque cultores insigniter promovebant, pacis turbatores oderant, & nihil non agebant, quod vergere sciebant in commodum Reipublicæ & salutem subditorum. Hæc didicerat à parente suo Parens vester Joannes, hæc ab illo percepistis uterque Tu Adolphe Friderice, & Tu Joannes Alberte, principes

cipes celsissimi, vosque in proposito perseveraturos nequaquam dubitamus, quotquot sub imperio vestro mihi vivimus.

Religionis verò propagandæ studium, cum maximè principes deceat, considerari hinc nonnullis visum fuit operæ pretium, an vi, armisque, aut etiam metu mortis quis cogi debeat ad eam quam antea ignorarat, aut contempserat, religionem, & num Hæretici, quos vocant, ferro ignique persequendi sint. Etsi verò diversæ variorum hinc sunt opiniones, tamen ex rationibus, quæ mihi occurrerunt probabiles, pro modulo ingenij mei concludere volui, ad veram sententiam eos potius reducidos, quàm ut, qui ex intervallo converti possent, omninò è medio tollerentur.

Hæc persecutus fui oratione mea inaugurali, cum anno ab hinc sexto in incluta sapientissimi foceri tuæ Princeps Joannes Alberte, titulo JCI ornaret, ut eo pacto specimen quoddam meæ eruditionis illic ederem. Quæ ibi tum dixi, ut publici juris facerem, & mihi visum fuit, & institerunt, quibus ea post legenda dedi, amicissimi mei.

Vobis autem, Heroes magnanimi, Religiosissimi & justissimi, ea inscribere debui, quod sub vestra tutela & sim, & perpetuò esse velim, & hoc, quod mihi sumpseram, argumentum, ab animis & auribus vestris non alienum fore credam. Accipite igitur hoc tenue, quod primitiarum loco à me proficiscitur: Amplectamini subditum vestrum, qui humilima sua officia vobis offert, & quidquid se dignum facere jusseritis, cum subjectione debita suscepturus est. Hinc


est. Hinc benevolentiam vestram mihi omnino
polliceor, atque hoc meum qualecunque exerci-
tium vobis placuisse me intellecturum confido.

DEUS Opt. Max, Vos Illustrissimi Principes,
Domini clementissimi, diutissimè cum vestris & tota
Megapoli protegat & conserve. Gnoje 27. Ian.
1610. 1610. XXIII.

Illustriff. C. V.

subjectissimus

Caspar Willichius D.



ORATIO

DE HÆRETICIS
NON OCCIDENDIS.



OGITANTI MIHI

quid in hunc locum, tam angusto
confessu dignum, ipsiq; diei, qui
per omnem mihi vitam honorifi-
centissimus nunc illuxit, conveni-
ens afferrem; nihil equidem occur-
rit, quod non esset supra ingenium meum, si suis illud
ponderibus magis, quam favore vestro librem: Et
tamen supra vires aliquid tentare, quam pistillum ex-
ornare malui, ne majorem mei, quam vel hujus tem-
poris, vel dignitatis vestrae, rationem habuisse vide-
ar, cum in magnis etiam voluisse, nonnunquam suf-
ficiat. Cum igitur Juris prudentia, cujus me Can-
didatum profiteor, ex Ulpiani sententia non solum
humanarum, sed etiam divinarum rerum sit noti-
tia, earundemq; lex regina, quemadmodum ex
Chrysippo Martianus refert: differere in presentia
constitui, quantum juris prudentiae legumq; latoribus
in divinis rebus liceat, argumento jam post Socratis
mortem perquam nobili, multorumq; tum ingeniis
tum periculis vexato.

B

De-

Veruntamen cum hic campus latè pateat, ne no-
stra nimium exerret oratio, pro temporis ratione
cancellos mihi circumdabo, Socratisq; monitus ex-
emplo, quem, quod contra receptas de diis opinio-
nes locutus argueretur, Athenienses cicutam bibere
coegerunt, id tantū aggrediar enodare, nunquid hoc
ævo legibus in caput hominis, quod diversos à publicis
in religione Christiana sensus sequatur, aut propu-
gnet, animadvertere liceat. Quod si fiat, dum hoc
ago, ut ex occasione nonnihil in sacrarum literarum
armamentarium digredier, ad mutuanda causa
mea tela, bona id eorum pace futurum spero, quo-
rum hæc est propriè cura: dabo quidem operam, ut
id parcè faciam. Et ea religione, qua cælo demissis an-
cilibus meritò debetur. Omnes autem rogatos ve-
lim, primū, ne quid huc afferant domo præjudicij,
quod vel eloquentissimos cujuscunq; sententia patro-
nos gravare plurimū potest; deinde ne causa,
quam defendendam sumpsi, bonitatem orationis
meæ pulchritudine, sed veritate potius metiantur, in
qua me venanda studiosiorem, quàm in verborum
ampullis aut pigmentis fuisse fateor: id si fecerint,
ut ex amico singulorum vultu certa spe jam conjicio,
nec illos fortassis exigui temporis mihi patienter tri-
buti pœnitebit, Ego tanto beneficio redemptus omnes
intendam nervos, ut hujus diei memoriam animo

meo

meo nunquam excidisse, quodcumq; volent, reco-
gnoscere possint. Cum verò dua sint de quaestione à
nobis proposita sententia contraria, quarum altera
ferro & igni armata secundum & urendum suadet,
quidquid est in ecclesia corpore putridum, ne sincera
pars trahatur, altera mitioribus remediis morbi vio-
lentiam tentat, nos quidem, quos ad misericordiam
natura finxit, à sanguine miserorum abhorremus &
libentius eis accedimus, qui, quantum fieri potest,
docendo, monendo, precando, oburgando, divinas
minando pœnas ceterisq; viis, quibus religio Chri-
stiana primum in terrarum orbem ingressa est, homi-
nem erroribus ablatum retrahere conantur; cete-
rum si videant, eum in præceptis obstinatâ fronte rue-
re, sibi Deoq; relinquere, quam acerba morte pœni-
tentia præcipere malunt, id modò caventes sedulo, ne
serpat intra ecclesie viscera, suamq; pruriginem sanis
adhuc membris affricet, quod vel anathemate publi-
co, vel aliis infra summum supplicium rationibus
prestari potest, de quibus nunc non est disceptandi
locus. Cum enim homo ad imaginem supremi nu-
minis creatus, particulam aurea cœlestis inclusam ge-
rat, cum filius Dei creaturam hanc per suam ipsius
mortem immortalitatis divinæ spe compleverit,
cum Spiritus S. humani corporis domicilium pro
templo minimè dedignetur: certè paulò major hu-
mano

mano sanguini reverentia debetur, quam ut ad cu-
jusquam alterius arbitrium, quam illius effundi de-
beat, qui cum leges de non occidendo homine severis-
simas tulerit, solus eas, tanquam supremus omnium
dominus coarctare, solus eisdem pro jure majestatis
certis modis derogare potest. Sin alius cujuscunq;
conditionis, quem necesse est illo, qui non, ut iste Vir-
gilianus Jupiter, imperium cum alio divisum habet,
inferior em esse, idem sibi præter illius vocem permit-
tat, quomodo non percellatur aliâ voce terroris ple-
nissima, Quicunq; autem fuderit humanum
sanguinem, illius sanguis effundetur; ad imagi-
nem quippe Dei factus est homo? quomodo non
examinabitur, cum Apostolum audit intonantem,
quod homicida non debeat regni cælestis hereditatem
cernere? homicidæ verò sunt, quicunq; extra
mandatum Dei hominem è medio tollunt, aut, ut
tollatur, quantum est in ipsis, omnibus modis cu-
rant.

Videamus igitur, nunquid singulari Dei seu
jussu, seu permissu, contra generale statutum hodie
jugulari possint ij, qui, licet nomen Christianum
profiteantur, à Christi tamen verissima doctrina
per errorem alicubi divertuntur, aliosq; secum
trahunt, ceteroquin à seditionibus & vitæ crimini-
bus alieni: his enim nostra tantum patrocinatur
oratio

oratio, minimè verò ijs; qui scelus errori conju-
gunt, quales olim Circumcelliones, qui ferro per
Africam vitæ piorum insidiabantur, quales Carpo-
cratiani, qui turpitudine vitæ principatus & pote-
states, quas vocabant, ob faciliorem in cælos transi-
tum demereri nefariè satagebant, quales ejusdem
farina ceteri tum veteres, tum recentes, qui sceleri-
bus-religionis nomen pratexunt. Solent ij, cum
quibus hic ferram ducimus, non paucis se divina-
rum literarum testimonijs tueri, ut, qua non pro-
sunt singula, multa iuvent: Sed nos, qui falcem in
Theologorum messem profundius inmittere nolu-
mus, si id quod omnium gravissimum, & causa
sua velut Achillem putant, nunc enervaverimus
hoc Catone erimus contenti. Ajunt igitur ipsum
Deum lapidari mandasse, si quis nomini suo maledi-
xerit, aut si idololatria vel auctor vel affinis ex-
titerit.

Expectabam ut de hæreticis sub novo fœdere di-
cerent: nunc audio legem de blasphemis & idolola-
tris sub veteri, quod est de allijs loquenti de capis re-
spondere. Sed illis fortassis idem est hæresis,
quod blasphemia & idololatria. De hoc verò
postea: nunc illud quaero, si maximè forent unum,
qua crimina sunt diversissima, nunquid tamen exi-
stiment, judiciorum legibus per Moysen latis populum

Christianum adhuc constringi? Sin affirmant, cur
igitur cessant lapides, si quando sabbathis ligna col-
liguntur? cur filij parentum dictis inobsequentes
vivere sinuntur? cur feriatur carnifex, quoties
maritus impuriori tempore cum uxore consuescit?
uno verbo, cur abdicata Christi libertate sub iugum
Mosis universum non redimus? Si negant, qua
tandem fronte nobis audent opponere, quod ipsi non
agnoscunt? An fortassis valebit hoc, cum ipsis
commodum erit; cum non erit, antiquatum censebi-
tur? id esset revera, quod illi nobis objicere solent,
scriptores sacros cereo naso circumducere. Vi-
detis, Auditores, maximam huic negotio religionem
injici, etiamsi tandem de hareticis Moses locutus fu-
isset. Sed non est: quo minus valebit argumen-
tum utroque pede claudicans. Nam quod blasphe-
mum illum attinet, si Leviticum Mosis rectis ocu-
lis intueamur, certissime deprehendemus sermonem
esse de eo, qui vindicta cupidine stimulatus opera de-
dita, postquam pectus odijs incaluerat, in immor-
talem Israelitarum Deum horrenda convicia jacta-
verat, & sanctissimum illius nomen sciens prudens
execratus, impietatis manifesta tenebatur. At ij,
quorum nos vitam propugnamus Deum se venerari
profitentur, & ut in doctrina fidei non parum hal-
lucinentur, ipsi tamen errorem negant, correcturi, si
agno-

agnoscerent, adeoque mortem ipsam pro vera, quem
admodum existimant, religione subire non verentur,
tantum abest, ut majestatem numinis maledictis
appetere voluerint. Nec verò satis est, ad jugulum
haeretici premendum, cum nescio quibus fide-
culis ex ipsius confessione blasphemia crimen per vim
elicitur. Quandoquidem enim lex de contortulis
ejusmodi conclusunculis nihil expressum habet, in
ambiguis rebus humaniorem sententiam cum Ul-
piano sequi oportet. In poenalibus praecipue causis
benignius interpretandum est, ut Paulus 7^o Titus gra-
viter monet. Multò minus autem qui nunc usur-
pantur haeretici illorum nomine censeari possunt, qui
IHOVA deserto ad peregrinos Deos vel ipsi de-
flexerint, vel alios somniorum vaticiniorumque fide
seduxerint: nec enim Israelitarum Deum universi
conditorem ac Dominum negant, nec nova sibi nu-
mina in caelis fingunt, aut in terris idola fabricant.
Si qui verò sint, quos Deuteronomij leges nostra tem-
pestate premant, hos oportet esse maximè, quos Da-
niel Propheta Deum patribus ignotum culturos pra-
dixit, quorum templa tot passim idolis oppleta vide-
mus, ut nullibi liceat oculos sine horrore defigere, ij
nimirum ipsi, qui vel cum equis haeticorum san-
guini innatare concupiverunt. Nihil in hos opus
est consequentijs, quibus alios sui criminis allegare
solent,

solent, scilicet quia, spreto Ecclesie sensu, proprium
cerebri idolum amplexi superstitione venerentur.
At si legis extensionem, ut J. C. i. nostri loquuntur,
tam latam faciunt, ut eos etiam, qui tropice ex i-
psorum mente idololatra vocari possint, severitate
sua involvat: quare non avaros & gulosos omnes
ultricibus flammis similiter exurunt, quorum hos
ventrem habere pro Deo, illos vero disertis verbis
idololatrias divinus Apostolus appellat; quod si fie-
ret, quae sylva tandem ad materiam ignis sufficeret?
Quanto rectius sanctissimus idem Apostolus, qui
cum non sui se tantum & vi hominibus, sed postero-
rum quoque memoria scribere nosset, nihil ultra quam
de vitare haeticum unquam jussit, quod non est, ut
in concilio theologus quidam senex & severus inter-
pretabatur de vita tollere, sed consortio dedignari,
ne vel colludere videaris, vel vitium, gangrana ser-
pente, contrahas?

Hymenaeum etiam & Alexandrum fabrum,
quorum ille resurrectionem jam factam errore pe-
stilentissimo tradebat: hic veritati vehementer resi-
stendo, multum ipsi incommodabat, ita Satana tra-
didit, ut possent adhuc blasphemias de discere, quod
illi certe non faciunt, qui tum, quando existimant,
hominem damnatis opinionibus ebrium, intercepto
edormiendi tempore, in illa crapula animum simul
cum

cum corpore perditum eunt. At quid interim sit
servatoris interdicto, quo vetat Zizania ante
messis tempus evellere, addita quoque ratione, quae
non modò Ecclesiarum ministros, quibus hinc solis fi-
bulam imponi vulgò perhibent, sed etiam
magistratus à runcando pariter, aut potius tantò ma-
gis inhibet, quantò minus hi ferè, quàm illi, sacrorum
periti facilius in tritico pro Zizanijs exstirpando pec-
care possunt. Sed longius, extra chorum meum sal-
to, quàm ab initio constitueram: igitur intra juris
nostri lineas revertar, jamque conabor, evincere, nec
à Justiniano nec alijs retrò principibus, quorum con-
stitutiones restant, solius religionis causa mortalium
ullius vitam impetitam esse, licet mysterium, quod æ-
vo suo querebatur Apostolus increbescere, jam tum
vehementius Ecclesiae incubuerit, et Antichristus po-
tentiae suae, quam deinceps eorum sanguine, qui lumi-
nibus ejus officerent, aperte sanxit, fundamenta non
exigua jecerit.

Hic igitur fidem omnium appello, quotquot vel
primoribus labris, juris nostri fontes degustaverint,
nunquid ullius meminerint legis, quae mortem here-
ticis expressè inferat. Lego quidem privilegia ca-
tholicae legis observatoribus indulta, haeticis com-
muniter adimi, exercitia suae superstitionis et omnia
conventicula interdici, testamenti fætionem, et hæ-
redi-

reditatum cretionem negari, onera reipubl. imponi,
testimonij dictionem contra orthodoxos non esse ma-
gistratus, dignitates & honestam militiam interclu-
di, quorundam etiam libros flammis voracibus ex-
piari, nonnullos donandi, emendi, vendendi, omniq;
contrahendi facultate privari, deniq; pelli civitati-
bus & universi Romani imperij finibus, aut perpe-
tua deportatione damnari. De morte verò lauda
verbum adhuc nullum, imò quia pœnatales, alijs
quidem majores, alijs minores, omnes tamen infra
mortem, disertè constituta leguntur, parumne liquet,
vite gratiam hereticis fieri? Ne quid tamen dis-
simulemus, quod causam adversariam juvare pos-
sit, fatemur sanè, si verba spectentur, ultimum sup-
plicium in Manichæos & illos, qui contra Synodum
Chalcedonensem illicita docerent, ab imperatoribus
decretum fuisse, quâ voce mortem aliàs intelligi Cel-
sus Jctus testatur. & nos libenter cōcedimus. Quid
tamen igitur? an hoc etiam concedemus, quoniam in
Manichæos, qui ad imam usq; scelerrimè nequitiam
pervenerant, ut iidem Imperatores loquuntur, &
nonnullos, qui Eutychetis & Apollinaris deliria, non
dico discerent (nam hos multa tantû pecuniaria co-
ercet) sed docerent, severiora quadam edicta legun-
tur, iidem omnes hujus temporis hereticos percelli?
nimis certè imperitos esse oporteat argumentandi le-
gunt.

gum, qui non intelligant, quam malè ducatur conse-
quentia, ut in scholis loquimur, à specie ad genus uni-
versum, seu, ut clarius dicam, quam insulse, quod uni-
vel alteri speciei convenit, ad omnes propterea tra-
hatur. Quid autem, si ne Imperatores quidem ipsi
legis suæ rigorem in mortem extensum velint, ut-
cunq; verba istam præ se ferant? Apud Sozo-
menum ecclesiastica historia auctorem, tum de Con-
stantino Magno, tum de Theodosio seniore memo-
ria proditum legimus, quod uterq; licet gravibus e-
dictis in hæreticos detinuerint, fulmine tamen absti-
nuerint, & delinquentibus scientes prudentes conmi-
tere voluerint, terrore contenti, quo mentem illis
saniores incuterent. Quid si idem fuerit his im-
peratoribus animus, quorum nomine leges tam hor-
rida nobis opponuntur?

Certè, si Celso credimus, scire leges, non est ver-
ba earum tenere, sed vim ac potestatem, adeò ut in
fraudem legis facere credat eum Ictus Paulus, qui
salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit. De
voluntate verò imperatorum unde nobis rectius consta-
re potest, quam si consulta historiæ fide, quid illo-
rum ævo tum Manichæis, tum Eutylianorum ac
Apollinaristarum magistris factum sit, investi-
gamus: optima enim legum interpretis est consuetudo;
ut Callistratus præclare dicit. Certum est igitur

C 2 de

de Manichæis eos post *Tauri Felicis*q; consalatum,
quo constitutio contra ipsos promulgata fuit, iisdem
imperatoribus rerum potentibus in ipsa Roma secu-
rè nidulatos, tandemq; coacto ibidem concilio à Leo-
ne Papa demum, non dico, neci datos, quam constitu-
tio minari videtur, sed expulsos esse, qui nihilominus
tamen postea non solum in Syria, Mesopotamia, Æ-
gypto, remotioribus ab urbe provinciis aperte grassa-
ti sunt, sed in propinqua Sicilia et jamnum post Ju-
stiniani mortem, quem verisimile est, gladio omnes
deleturum fuisse, si constitutionis à se codici inserta
vim ultra terrorem porrigi putasset, impunè vixe-
runt, ut ex Gregorij Magni pontificis epistola qua-
dam apparet, quorum etiam Episcopum Indaganam
Paulus Diaconus commemorat. De Chalcedo-
nensis concilij oblocutoribus non conabor idem signa-
tis tabulis edocere, cum omnibus, qui modò non sunt
in historia penitus hospites, notissimum sit, eos post
illam Valentiniiani, Martianiq; constitutionem,
tùm in multis imperij regionibus, tum in ipsa Con-
stantinopolitana sede regia diu, vel celeberrimo Eu-
tychianorum, vel aliis Monophysitarum, Acepha-
lorum, Agnoëtarum, Jacobitarum vè nominibus in-
terpolatos viginisse, Eutychete ipso Dioscoro, & si
fortè, uno atq; altero excepto, in quos lege & jure
stricto actum fuit. Quomodo verò? an non hi
tandem

tandem omnium antesignani capite fuerunt nefaria
militia ducatum? minimè. Quidni, dicetis, si-
quidem ultimo lex eos supplicio tradit? Nimirum
inficior, quando hoc ventum est, ut de verbis disce-
ptemus, per ultimum supplicium in his legibus mor-
tem intelligi posse, licet id aliàs solere fieri cum Celso
¶ Cto superius concesserimus. Fundum vobis mea
sententia dabo illas ipsas leges, ex quibus hasta in no-
bis venit verè Achylla, siquidem ut, Telipho, ea-
dem nobis vulnus opemq; feret. Ecce priorem,
Manichæis etiam de civitatibus pellendis, &
ultimo supplicio tradendis. Ecce alteram, Nul-
libi insuper Eutylianistæ, vel Apollinaristæ pu-
blicè vel privatim convocandi coetus vel circu-
los contrahendi, & de errore hæretico disputan-
di, ac perversitatem facinorosi dogmatis adse-
rendi tribuatur facultas. Nulli etiam con-
tra venerabilem Synodum Chalcedonensem,
liceat aliquid dictare, vel scribere, vel edere, vel
mittere, aut aliorum dicta vel scripta super ea-
dem re proferre. Nemo hujusmodi libros &
sacrilega scriptorum audeat monumenta serva-
re. Quod si qui in his criminibus fuerint de-
prehensi, perpetua deportatione damnentur.
Paulò post additur: Ultimo etiam supplicio coër-
ceantur, qui illicita docere tentaverint. *Quis*
hinc

hinc non videt, Imperatores utrobique, per ultimum
supplicium (si modò utrobique sunt imperatorum, nec
ab aliena manu, de ultimo supplicio verba, quod a-
pud nonneminem contraversum vidi) sed si sunt,
quis, hinc inquam, non videt, nequaquam eos mor-
tem ipsam intellectam velle, licet aliàs verbis istis
designari soleat, nisi tam sit ridiculus, ut Manicheos
primum civitatibus pellendos, Eutychnistarum
item & Apollinaristarum doctores deportandos,
postea demum omnes obtruncandos arbitretur,
quod non modò ineptissimè diceretur, sed etiam, ut
multa alia sciam contra leges illas fieret, quæ faci-
nus quodcumque plecti jubent, ubi admissum est, ut
alij pœna territi exemplum detestentur. Et quid
in tam absurda interpretatione laboramus, cum
iisdem imperatores Valentinianus & Marcianus,
quorum alteri, alter utriusque legum istarum majesta-
tis sua nomen commoda vit, omnem dubitandi an-
sam præsciderint, quando monachos & clericos, qui
Apollinaris & Eutychetis hæresin secuti fuerint, om-
nibus pœnis, quæ prioribus legibus adversus hereti-
cos constituta sunt, teneri jubent, & extra ipsum quoque
Romani imperij solum repelli, sicut, addunt, de Ma-
nichæis præcedentium legum statuta sanxerunt. Ni-
mirum hoc illud est ultimum supplicium, cui Mani-
chæos priores leges subjiciebant, ut non modò civita-
tibus,

tibus, sed etiam extra ipsum Romanum imperium
pellerentur: hoc idem, aut, si magis placet, huic
quasi geminam deportationem Eutychianorum
& Apollinaristarum signiferis eodem nomine leges
minabantur, quod ipsius etiam Eutychetis & Dio-
scori exemplis, de quibus superius actum est, satis
claret. Et verò si verborum superstitionem omit-
timus, qui minus summi nonnunquam supplicij no-
mine venire seu deportatio, seu universi Romani soli
interdictio possit, cum rei capitalis (qua quid autu-
mem superius?) damnatum Ulpianus asserat, qui
exilio coërcitus est, & inter capitales penas depor-
tationem quoque Callistratus recenseat? imò cum de-
portati (& multò magis imperio toto submoti) di-
cantur & Ceteris nostris interuisse, & pro mortuis ha-
beantur? Quae cum ita sint, facile patet, quid ad
Græcam Justinianae constitutionem, quae Manichæos
undiq; expellendos & capite puniendos jubet, quid
item ad Anastasiana, sive Justinianæ illius epito-
men, quae Manichæos ubicunq; inventos capitis da-
mnat, responderi possit: nisi enim has leges partim
æquæ, ac superiores illas ridiculas, partim & sibi &
aliis diversas contra Justiniani imperatoris interdi-
ctum facere velimus, fateamur oportet, non aliud
etiam hic, quam expulsionem ex finibus Romanis
intelligi: quae interpretatio minus dura videbitur
consi-

consideranti, quod apud Græcos, ex quorum hac
linguâ malè traduximus, non capite puniri vel da-
mnari, sed verò capitaliter secundum pedem, ut lo-
quitur alicubi Justinianus noster, legatur, quod ex-
tra mortis supplicium fieri posse, jam antea satis do-
cuimus. Unus adhuc restat nodus, quem nisi
dissolverimus, ceteroquin elapsi nihilominus im-
plicari videmur: vulgatur enim hodiè in
Codice nostro quadam epitome ex Basilicorum
ecloga, quæ disertè caput Manichæo deprehensio am-
putari jubet. Quid hic agemus, Auditores; an
imitabimur Alexandrum Magnum, Sin Gordium
nodum ense distringemus, ut ense ense, id est,
quod dici solet, clavum clavo pellamus? sed non è-
rit, ut opinor, his armis opus, cum mitioribus con-
siliis res expediri queat, quibus etiam militaris ille
Thraso omnia sapienti prius experienda censebat.
Accidit autem huic epitome, quod alteri cuidam,
ut Justiniani constitutioni antea objeci, ut nihil nobis
officere posset, nisi prius licenter vertendo corrumpere-
retur: nec enim id in Græcis fontibus, quod in ci-
sternis nostris habetur, ut caput Manichæo ampute-
tur, sed ut ipse resecetur, quod nemo debet saltem
non est necesse, de capitis resectione, sed de totius
hominis remotione seu repulsione intelligere, id quod
cum legibus reliquis, de quibus hætenus, optimè
convenit.

Verum.

Veruntamen ut fortius instare possimus, prævari-
cabimur nonnihil causa nostra, & concedemus dicis
causa, sic in Græcis libris legi, quemadmodum in no-
stris malè redditum extat: tamen ne sic quidem con-
cludemur, quin latissima elabendi, non dicam rima,
sed janua pateat. Quid enim ad nos Basilicorum
ecloga pertinet, quæ nudius tertius à Sambuco pri-
mùm in quodam Calabria angulo reperta, & heri à
Leunclavio typis prodita, quod ad hanc nostram le-
gem attinet, ab omnibus, nisi recentissimis juridici
corporis editionibus exulat, nec Jacobi Cujacii ma-
gni & Cui notam effugere potuit, qui multis eam erro-
ribus occasionem præbuisse queritur? imò si ipsi Ba-
silicorum libri, ex quibus hæc synopsis nescio quam be-
nè, contracta est, restarent, non magis nos illi con-
stringerent, quàm si quid Hispaniæ, Daniæ vel An-
glia reges in suis hodiè regnis constituant, cum nec
Leo Philosophus, nec Constantinus Porphyrogenne-
ta, Imperatores Constantinopolitani, illorum libro-
rum auctores, ullum in has regiones imperium un-
quam obtinuerint, Carolo Magno rerum per occi-
dentem jam potito, proindeq; populo externo nec le-
gem potuerint promulgare. Cum igitur, ut abundè
jam ostendimus, nec Manichæis nec iis, qui contra
Synodum Chalcedonensem scholas habent, periculum
mortis hinc impendeat: quem tandem crudelitatis

D

sua

sua praetextum habent, qui quencunq; errorem, qui
etiam verorum vitæ scelerum poenam interdum mi-
tigat, igni vindicandum tradunt. An, quod hac
succesit, alia agredientur via? forum fortassis ci-
vile declinabunt, cum laicum decere neget Inno-
centius III. pontifex ecclesiasticarum rerum arbitrium
sumere, cum in eandem sententiam præverat Syno-
dus ab Eugenio celebrata. Atq; jam ex legibus quoq;
divinis causam nostrã probavimus, contra quas nul-
la valet exceptio. Canonica tamen, ni fallor, jura
nobis obtrudent, quæ divinas leges obscuriores aper-
tius explicuerint. Itane verò? An non cursus mi-
hi contra explicatores istos minimè canonicos Justi-
niana sanctionis beneficio uti liceat, cum ipse quoq;
Nicolaus Papa, ut à Gratiano relatum est, suspectos
et inimicos iudices rejici posse, tum ratione, tum ex-
emplis egregiè probet? Sed demus hoc bonitati cau-
sæ, ut eos etiam admittamus iudices, quos tanquam
reos in iudicium adduximus.

Mirabitur fortè nonnemo audaciam nostram,
sed tamen fidenter dico, ex decreto Gratiani non mo-
dò probari non posse, sanguinis illam heretici sitim,
sed etiam expressissimè prohiberi. Ecce vobis inde
praclarum Augustini exemplum, Circumcelliones
quidam, Donatismi partiarj, quorum etiam antea
mentionem fecimus, præter hæreseos crimen, ut erant
bomi-

homines factiosi, de eade accusati & confessi fuerant:
& tamen, quanta, bone Deus! contentione pius ille
pater per fidem Jesu Christi Marcellianum comitem
obtestatur, ut illorum pœna non modò intra supplici-
um mortis, sed etiam intra corporis mutilationem es-
set, ut & restarent, qui corrigi possent, nec ecclesia cœ-
dis hosticæ conscientia mansuetudinis laudem amit-
teret. Quid enim facturum putatis, si solo mentis
errore extra ceterorum flagitiorum culpam hæssissent?
Certè licet ipse, contra quam olim senserat, rationibus
nescio quibus inductus cogendos ad fidem hæreticos
statuat, non legi tamen, ullam ab eo pœnam ultra lo-
corum, vel bonorum, vel pecuniæ privationem appro-
batam: ad mortem verò in quenquam servire, nullis
bonis in Ecclesia catholica placere, contra Cresconium
Grammaticum apertè testatur. Quid enim illo ipso
Augustino quondam actum fuisset? quanto columnine
Ecclesia Christi caruisset, si, cum omnium errorum te-
terrimum, Manichæismo per quadriennium obsidere-
tur, è medio fuisset sublatus. Sed mitto Augustinum,
mitto decretum Gratiani, licet Antichristi calce coa-
luit, habet tamen ab antiquo ævo lapides quosdam
vivos reliquo cemento intermixtos: id verò conte-
stor, me nec in posterioris ætatis decretalibus univer-
sis, nec in Clementinis, nec extra vagantibus quicquã
de hæreticis gravius hæctenus invenisse, quàm ut
D 2 post ex-

post excommunicationem clerici quidem tradantur;
laici verò relinquantur iudicibus secularibus, qui bo-
na noxiorū confiscent, ipsosq; si nolint in Ecclesia gre-
mium redire, perpetuo carceri ad extorquendam pœ-
nitentiam includant. Tanta nimirum etiamnum
erat vis veritatis, ut hostibus quoq; suis pudorem im-
peraret, ne, quod fortè faciebant, ore vel stylo facien-
dum auderent defendere, quanquam aliàs nescio sa-
nè quàm vetus sit ista tyrannis, qua jam post Con-
stantiense concilium pietatis nomen tam manifestè
invasit, ut nonnemo, tanquam re benè gestâ, gloria-
tus fuerit, quod circiter sexcentos supra duodeviginti
hominum millia carnificis manu necasset, & alibi
quasi ad triginta millia ejusdem zeli ardore intra
non multas dierum septimanas conflagrauerint.
Trucida verat quidem antiquis etiam temporibus,
Itacio aliisq; instigantibus, Prissillianum hereticum
impurum tyrannus Maximus, eorundemq; furia-
lium episcoporum, ut eos vir incorruptæ fidei Thua-
nus appellat, instinctu tribunos summa potestate ad
persequendos in Hispaniis à fide devios missurus e-
rat: sed quantum inconsulta severitia Beato Ambro-
sio & Martino displicuerit, exinde liquet, quod iste
in legatione sua ad Maximum cum Itaciana partis
episcopis, ut ipse refert, communicare noluerit, hic, ut
id faceret, vix tandem summa necessitate adduci po-
tuerit,

tuerit, maximamq; dederit operam, ut Maximus
decretum de hæreticis per Hispanias occidendis re-
vocaret. Nempe enim probe uterq; noverat, arma,
quibus debellentur hæreses, non ex ferro & chalybe
constari, quibus quid profectum fuerit, hodiè nec illi,
qui strinxerunt ea, cum dolore suo fateri nequeunt:
illa, illa potius requirebantur, quæ divinus Apostolus
in epistola ad Ephesios non minus graphicè quam ope-
rosè descripsit, ac imprimis anceps ille gladius aucto-
ris ad Hebræos, qui ad divisionem animæ ac spiritus
compagum ac medullarum pertingit; quo se armorum
genere B. ille Paulus omnes munitiones, & quicquid
adversus scientiam Dei attollitur, demoliri, omnesq;
cogitationes humanas sub jugum Christi, cui rebel-
laverant, captivas ducere gloriatur. O magnos vi-
ri spiritus, quibus id efficere poterat, quod hodiè tot
eculeis, tot fiduculis, tot gladiis, tot crucibus, tot ustri-
narum flammis, & uniuerso carnificum artificio
frustratentatum fuit! Sic, sic excitandum erat à
Salomonis nostri vere pacifici ministris templum
Domini, ut nec malleus, nec securis, nec ullum deniq;
ferramentum in compingendis lapidibus tabulisq;
coassandis audiretur, & altare Christi sanctissimum
multò minus, quàm illud Moysi in Exodo, cultro vio-
landum erat. Illud quoq; multis ante seculis vatici-
natus erat Esaias, dum gladios in vomeres, & lan-
ceas in

teas in falces ultimis temporibus abituras agebat: at nos, quo mendacem faciamus prophetam, nefandum presaga puerperæ somnium magis observabimus. Puto vos, Auditores, non satis intelligere, quid mihi velim: dicam igitur apertius. De Dominico auctore unius ex quatuor mendicantium ordinibus, quem alij Sanctum vocant, (rectius sacrum cum Virgiliana fame dixissent) in ejus vita memoria proditum legimus, quod mater infelicis seculi incendiarium ad exemplum Hecubæ jam jam editura somnia verit, ingentem se parere canem, qui ardentem torrem ore gestaret: an non autem eodem torre hodieq; armati Dominicani fratres, quibus inquisitio hæretica pravitatis (utinam sine rivalibus!) committi vulgò solet, quotquot Capitolino tonitruum obstrepunt, ubicunq; possunt, tanquam fulmine quodam adurunt? Sed laus sit immortalis Deo, qui non passus molossos illos cum torre per Germaniam nostram ulterius grassari, Casares ac principes imperij, jam non immemores, quot hominum millia rogas Hussiticus incendio sparso quondam hausisset, aut quid cladium intestinis nuper bellis preposterus religionis zelus in vexisset, in hanc animorum concordiam adduxit, ut pace inter dissidentes Passavi sancita, aliquam nobis, quam nullam rempubl. relinquere malent, & vicinos aliquot populos, quorum naufragiū è litto-

è littore non sine dolore aliquandiu spectavimus, in-
ter Symlegadas & pralia fluctuum, navibus, ut-
cumq; potest, reseclis, in portum hunc pariter dedu-
xerit, quem et jamnum non quidem sine metu, sed
tamen citra periculum, ut ita loquor, decumanum,
communi illius beneficio tenemus. Eundem porrò
supplex veneror, ut tanta felicitatis gratiam, qua
nullo merito sumus affecti, tum ad posteros nostros,
tum ad omnes gentes alias propaget ac circumferat,
temperetq; magistratum animos, ne jus in conscien-
tias, quod sibi reservavit soli, ceu Stephanus Poloniae
rex pie dicebat, nefario sacrilegio, & ea tyrannide
invadant, qua nullam intolerabiliorem Maximili-
anus II. imperator asserere solebat. Hoc meum
est votum, Auditores, nec dubito quin omnium ve-
strum, in quo lubens subsisto, nec verbum am-
plius addam, praeter hoc unum,

D I X I.



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the other side of the leaf. The text is illegible due to its orientation and fading.

D X I



33. Spener, synodalia Fröhen, mit dem dem bey dem
Christen gänzlich. exorcismo zu Welt. 17.

34. Stryer, de iure bibliothecarum.

35. Stumel, de gradibus cognationum.

36. Strucius de dispensationibus.


37. Strucius, de J. C. Vellejano.


38. Stumburg zu Hain de oblatione ad talem.

39. Stolze, de mariti in bonis uxorij paraphernalibus sibi
competentis, usufructus manuatione qualitate paraphernali
non nociva.

40. Stolze, de patre obtrata liberos circa confessionem pater-
nam aliunde degentes frustra uocante, de se cum Hantor,
zu dem Hantor, in Concursus Creditorum mit Hantor, sein
Hantor uirguld Post, mit bey ihm, sey mit Welt, mit bey
dem Louis.

41. Stern, de eo quod iustum est circa nuptias.







meo nunquam excidisse, quam
gnoscere possint. Cum verò
nobis proposita sententia contra
ferro & igni armata secundum
quidquid est in ecclesia corpore,
pars trahatur, altera mitioribus
lentiam tentat, nos quidem, que
natura finxit, à sanguine misero
libentius iis accedimus, qui, que
docendo, monendo, precando, ob
minando pœnas ceterisq; viis, q
stiana primum in terrarum orbe
nem erroribus ablatum retrabe
rum si videant, eum in præcepto
re, sibi Deoq; relinquere, quam
tentia præcipere malunt, id modò
serpat intra ecclesie viscera, suam
adhuc membrum affricet, quod ve
co, vel aliis infra summum su
prestari potest, de quibus nunc
locus. Cùm enim homo ad ima
minis creatus, particulam auræ c
rat, cùm filius Dei creaturam ha
mortem immortalitatis divine
cùm Spiritus S. humani corpor
templo minime dedignetur: cer

B

ent, reco-
astione à
m altera
n suadet,
e sincera
orbi vio-
cordiam
emus &
i potest,
divinas
io Chri-
t, homi-
r; cate-
nte ruc-
e pœni-
dulo, ne
m sanis
te publi-
ionibus
eptandi
mi nu-
sam ge-
n ipsius
verit,
um pro
ajor hu-
mano

